

CAP. XI.

DE OPERIBUS VIAE ILLUMINATIVAE GENERATIM,
SIVE DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

210. — Praenotandum. — « Debemus ad virtutum studia irremissa cura ac sollicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisque nos jugiter exercitiis occupare; ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur: quia in uno eodemque statu mens manere non praevalet; id est, ut vel augmenta virtutum capiat, vel detrimenta sustineat » (Cassianus).

211. — Definitio. — I. *Etymologice*, « Virtus dicitur quasi *vis intus*: et haec vis consistit in aggressionem arduorum, in tolerantia adversorum, et in abstinentia placitorum » (S. Bonav.): *VEL*: « Virtus a viriditate dicta est, quae nescit aliquo labore marcescere » (Cassiod.). — II. Virtus communiter definitur a Theologis: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et nemo male utitur* (S. Th.): *VEL* juxta S. August.: *Animi habitus hominem inclinans ad bene recteque operandum*: *VEL*: *bona qualitas animum constanter et efficaciter disponens ad bonum*: *VEL*: *qualitas mentis bene dispositae, qua bene vivitur, sine qua nullus laudabiliter conversatur* (S. Laur. Just.). — Dicitur de virtute

quod *ea nemo male utitur*, ut distinguatur ab illis habitibus seu qualitatibus quibus potest quis male uti, ut fides humana, opinio, et similes; vel quia adeo, vere et determinate ad id, quod bonum est, inclinatur ac movetur, ut si ea uti et cum ea operari debeamus, nihil possimus mali facere: ac proinde quando malum facimus, habitum virtutis non sequimur et contra virtutem facimus. — Omne vitium est animae aegritudo, virtus vero sanitatis rationem obtinet (S. Basil.). — Ergo recte perscrutentur virtutes, et rite intelligantur, ne falsam colamus pro vera, et nihil lucremus. Hinc, « sicut falsis denariis nihil emitur boni, sic nec falsis virtutibus regnum coelorum comparatur » (B. Alb. Magn.).

212. — *Divisio*. — I. Virtutes dividuntur in *intellectuales, morales et theologicas*: *primae* perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri; suntque intelligentia, scientia, sapientia, et ars. Unde non agimus de his, ut constat ex definitione. *Secundae* perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum, suntque prudentia, justitia, temperantia et fortitudo, et vocantur cardinales. *Tertiae* sunt illae quae Deum pro objecto habent, seu quae immediate versantur circa Deum; suntque fides, spes, charitas. — II. *Aliae* sunt *naturales*, aliae *supernaturales*. *Supernaturales* sunt quas homo non potest suis viribus acquirere, nec *proprie* ad eas se disponere, sed libere et gratuito a Deo infunduntur. *Naturales* sunt illae quae si considerentur in ordine morali tantum possunt exerceri solo generali Dei concursu, per solas

vires naturales. — III. Aliae sunt *infusae*, aliae *acquisitae*. *Infusae* sunt quas homo non operatur, neque bonorum operum exercitio acquirit, sed Deus per se ipsum sine nostra cooperatione communicat et infundit. *Acquisitae* sunt illae, quas homo continuo exercitio et per proprios actus acquirit et comparat. — IV. *Ex infusis*, aliae sunt *infusae quoad entitatem*, aliae *quoad modum*. *Primae* naturaliter acquiri nequeunt, utpote quia sunt ex ordine supernaturali, uti virtutes Theologicae. *Secundae* per actuum frequentiam acquiri possunt, uti sunt virtutes humanae, ideoque sunt *infusae* in quantum solus Deus illas effective causat. Unde *virtutes morales infusae* habent pro regula non tantum rationem humanam, sed legem divinam et evangelicam, et pro communi et ultimo fine Deum, objectum beatificum et finem supernaturale lumine fidei cognitum. Virtutes vero morales simpliciter *acquisitae* habent pro regula rationem humanam, et pro fine bonum ratione naturali assecutum.

213. — *Virtutes morales* in moribus componendis proprie occupantur, et vocantur *CARDINALES* seu *primariae*, illae ex quibus caeterae oriuntur.

214. — *Supernaturalitas virtutis*. — I. *Virtutes* quas *mere naturales* vocamus, minus proprie, ut aiunt AA., appellantur virtutes. Certum tamen est illas revera dari, aliter dicendum esset quod omnia opera infidelium sunt peccata, quod falsum est, ut constat etiam ex damnatis propositionibus Quesnellii dicentis: « Voluntas quam gratia non praeventit...

est incapax ad omne bonum; » et Baïi inquietis: « Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducat, agnoscit. » — II. Virtutes theologicae a Deo in nobis sine nobis infunduntur. Omnes virtutes cum gratia sanctificante nobis infunduntur. — III. *Omnes virtutes morales tunc dicuntur supernaturales* (et in hoc sensu virtutes proprie accipiuntur in Mystica), quando non humano tantum labore, sed ex speciali Dei gratia acquiruntur, ut homo non humano et naturali, sed divino ac supernaturali modo operetur. — IV. Sicut anima operationes suas exercere nequit nisi per intellectum et voluntatem; ita gratia sanctificans velut vita hominis spiritualis et supernaturalis comites habet virtutes *infusae*, per quas veluti per supernaturales potentias supernaturaliter agit. — V. *Ex his ergo patet in quonam sensu communiter dicitur, quod virtutes morales versantur circa bonum creatum ex motivo supernaturali, et quod interpretates virtutum, intelligitur etiam supernaturalitas*. — VI. Notandum quod ad praxim moralium virtutum (in proprio sensu) necessarium est auxilium gratiae actualis: etenim per virtutes morales superantur graves tentationes ac passiones, et naturales vires naturae ad hoc non sufficiunt, ut aiunt Theologi et fides docet. — VII. Vitia et virtutes *acquisitae* sunt contraria, et sese mutuo expellunt a subjecto: Secus vitia et virtutes *infusae* supernaturales, non pugnant inter se in eodem genere habitus; unde nihil mirum si vitia adhuc remaneant introductis

virtutibus, necesseque sit ea per virtutum acquisitarum studium expellere, ait Charnes. — VIII. « Sive parum, sive multum (in ordine ad vitam aeternam) sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest » (S. Aug. tr. 18, in Joan. c. 15): ergo illius gratia indigemus ad virtutem supernaturalem.

215. — Notandum circa acquisitionem virtutum.

— I. Est differentia inter virtutes morales acquisitas, et infusas. Nam virtutes acquisitae non statim a principio, sed successive acquiruntur; cum enim non requirantur ad simpliciter, sed ad facile operandum, possunt ex vi principiorum naturalium, mediis actibus acquiri. Infusae tamen cum sint tota virtus agendi proxima, debent statim a principio justificationis infundi. Unde virtutes morales infusae a solo Deo possunt actibus nostris acquiri, ut virtutes acquisitae. Ita Ant. a Sp. S. — II. Postquam virtutes infusae a Deo infusae sunt, tametsi homo bonorum operum exercitio eas non auget, virtute sua ipsarum augmentum operando, tamen bonis quae facit operibus meretur, ut eas ipsi Deus augeat: idque Deus ita facit, ut quanto plus homo se in bonis operibus exercet, tanto ei amplius gratiam, omnesque virtutes infusas augeat (Cfr. Arias, t. 2, thes. tr. 3).

216. — Mediocritas seu medium virtutum.

I. *Duplex distinguitur medium virtutis*, scilicet medium rei et medium rationis. *Medium rei* est illud quod ita est ex natura rei determinatum et fixum, ut sit semper unum et indivisibile, nec variatur

pro loco, tempore et persona. *Medium rationis* est illud quod est divisibile, variaturque pro loco, tempore et persona, juxta prudentis aestimationem. — II. Virtutes Theologicae et intellectuales non consistunt in medio per se et ex parte objecti: per accidens autem et ex parte subjecti, requirunt aliquod medium, quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cujuslibet naturam, genium et conditionem. Unde non potes nimis credere, nimis sperare, nimis esse sapiens. Debes tamen attendere ut non male ames. — III. *Omnes virtutes morales consistunt in medio rationis*; quia contra ipsas peccari potest per excessum vel per defectum, v. gr. contra fortitudinem, per temeritatem aut pusillanimitatem. Excipitur virtus justitiae quae in medio rei et rationis simul consistit.

217. — Connexio virtutum. — I. Virtutes intellectuales et theologicae non sunt inter se connexae. Hinc sapientia potest inveniri in subjecto absque arte, fides absque charitate. — II. Virtutes morales consideratae *in statu imperfecto*, non sunt necessario inter se connexae. Sic multi videntur eleemosynam facientes, et castitatem non sectantes. — III. Virtutes morales consideratae *in statu perfecto*, id est, quae tam perfecte possidentur, ut omnibus contrariis facile possint resistere, sunt necessario inter se connexae. Virtus enim in statu perfecto facit ut quis lubenter et sine mora in propria illius virtutis materia operetur: hinc si possides perfecte justitiam, eris fortis ad resistendum contra dona et minas ut a justitia

declines, etc. Virtus enim perfecta est *constans et firmus ordinis amor*, quo quis id quod rectum est et rationi consentaneum in quavis materia prosequitur; ac proinde talis amor constans, firmus et habitualis omnes plene virtutes includit. « Certe hinc persuadent, qui unam virtutem habuerint, habere omnes et omnes deesse, cui una defuerit, quod Prudentia nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse, nam si aliquid horum defuerit, Prudentia non erit. Porro si Prudentia tunc erit, si et Fortis, et Justa, et Temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet caeteras. Sic et Fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta; sic Temperantia necesse est, ut Prudens, Fortis et Justa sit, sic Justitia non est nisi sit Prudens, Fortis et Temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, et aliae similiter sunt. Ubi autem aliae desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur » (S. Aug. *epist.* 167, n. 5).

218. — **Actus virtutum.** (Memento eorum quae de mediis ad perfectionem alibi dicta sunt.) Actus autem quibus quasi ascenditur ad montem virtutum sunt: 1° Virtutes omnibus temporalibus praeferre et maxime illas aestimare. — 2° Desiderare ardentem virtutum ornamenta. — 3° Conatum magnum agere ad virtutes sectandas. — 4° Donum virtutum supernaturalium instantissime a Deo postulare. — 5° Ad majora virtutum augmenta semper tendere. — 6° Alienae virtutes amare, illisque fortiter excitari. — 7° Difficultates ad virtutes obtinendas non timere et su-

perare. — 8° Gratias Deo pro virtutibus obtentis humillime persolvere, et quantum adhuc fieri potest, salutariter considerare occasiones virtutum sollicitè colligere. — 9° Defectus contra virtutes statim deplorare et corrigere.

219. — **Gradus virtutum.** — I. Alii lento passu, alii modesto incessu, alii celeri cursu ad virtutes properant. Primi terrenis adhuc occupantur, alii seipsis adhuc in variis indulgent, caeteri transitoria contemnunt. — II. Alii cum gravi difficultate, alii cum levi resistentia, alii cum delectatione virtutes exercent. — III. Quoad motiva quasi primario menti occurrentia, alii propter virtutum honestatem, alii propter praemium, alii propter Deum virtutes colunt. Omnes tamen christianae virtutes ad Deum tendunt, ut per ipsas Deo placeamus et tandem Deo fruamur. — Gradatim ergo adlaboremus ut in palaestra virtutum magnis proficiamus incrementis.

220. — **Dignitas virtutum.** (Memento quae de perfectionis dignitate dicta sunt.) — I. « Nihil facit nomen adeo immortale, ut natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum reliquiae, ostendit memoria eorum qui recta ex virtute vixerunt » (S. Chrysost. in ps. 48). — II. Sicut minuta lumina claritas solis obscurat, sic dignitas virtutis omnia alia hominis ornamenta vilescere facit (Anonym.). — III. Virtutes sunt virtuosorum divitiae verae, et de illis dici potest: « Laudemus viros gloriosos.... homines divites in virtute » (Eccl. 44).

221. — **Varia.** — I. Virtus etiam dicitur quasi

virum tuens, vel quasi *virens intus* ob duplicem effectum quem habet, scilicet, tuetur praesentia sua animam et ipsam ornat (S. Bonav.).

II. Virtutes consuetudinales circa medietatem consistunt: fortitudo circa timorem et audaciam: temperantia circa delectationem et tristitiam: liberalitas circa dona mediocria: magnanimitas circa magnos honores, etc. (id.). Dicuntur consuetudinales, quia adquiruntur ex frequenti actu: politicae, quia ordinant hominem ad bene vivendum inter alios, etc. (id.). Virtutes cardinales dicuntur quia sicut ostium vertitur in cardine et regitur, ita his regitur et vertitur tota vita humana: instruitur enim in omnibus operibus, et contra vitia armatur (id.).

III. Prudentia invenit modum ut non excedas, sed circa centrum consistas: quare est auriga virtutum. Temperantia custodit modum inventum. Justitia describit respectu sui et aliorum, et quia post modum multa adversa eveniunt. Fortitudo defendit ne perdat modus: hinc recte dicitur virtus nihil aliud esse nisi modus (S. Bonav. serm. 6. *Hex. Vide ibi*).

IV. Sicut lux purgat, illuminat, perficit et stabilizat: sic temperantia primum facit, prudentia secundum, justitia tertium, fortitudo quartum (id.). — Virtutes Theologicae fides et spes non habent reflexionem super se: credens enim non credit credulitatem; charitas vero habet, quia habens charitatem eam diligit (Id. vide l. 1, d. 17, p. 1, a. 1, q. 2, ad 3). — Virtutes sunt socii cum quibus procedamus ad patriam (id.).

V. Virtus moralis non ut gratuita dicitur quid virtuosum semiplene, quia procedit non a virtute, sed ab aliquo virtuti consono, scilicet, a voluntate consonante rectitudini naturali (id. vide l. 3, d. 33, q. 5, ad ult.).

VI. Virtus quaelibet praeter charitatem potest esse communis bonis et malis; charitas autem non potest dari informis (id.). Intellige: per peccatum homo exspoliatur virtutibus formatis, id est, charitati conjunctis, non vero quatenus sunt informes, seu charitate destitutae (Cfr. S. Bonav. l. 3, d. 27, a. 1, q. 4). Charitas est forma extrinseca virtutum per quam habent, ut sint Deo gratae et meritoriae. Cfr. D. Th. 1, 2, q. 71, a. 4, ubi explicat quare et quomodo virtutes informes dicantur non esse virtutes, et in hoc sensu illis privari qui in mortali existunt, etc. Aliunde expedit semper in hac quaestione prae oculis habere sequentem ejusdem Angelici Doctoris doctrinam: 1° «Solae virtutes infusae sunt perfectae, et simpliciter dicendae virtutes, quia bene ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter; aliae vero virtutes, scilicet acquisitae, sunt secundum quid virtutes, non autem simpliciter; ordinant enim hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere, non autem respectu finis ultimi simpliciter. Unde Rom. 14, 23, super illud: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, dicit Glossa Augustini, *ord. ex cap. 106. Sentent.: Ubi deest agnitio veritatis, falsa est virtus etiam in optimis moribus*» (D. Th. 1, 2, q. 65, a. 2). — 2° «Habitus moralium virtutum

infusarum patiuntur interdum difficultatem in operando propter aliquas dispositiones contrarias ex praecedentibus actibus relictas; quae quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariae dispositiones » (D. Th. 1, 2, q. 65, a. 3). — Iterum tamen memento ne ad omnem virtutem exigi putes cum Baio gratiam habitualement et charitatem ita dominantem, ut extra hunc statum opera omnia essent peccata. Unde prae oculis habendus tract. de Gratia, et alia principia *Th. Dogm.*

VII. Quatuor sunt matres virtutum: fides origine; charitas educatione; prudentia regimine; humilitas conservatione (S. Bonav.).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Ad Mariam « respiciunt et qui in coelo habitant, et qui in inferno, et qui nos praecesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati eorum, et qui nascentur ex illis. Illi qui sunt in coelo, ut resarciantur; et qui in inferno, ut eripiantur; qui praecesserunt, ut prophetae fideles inveniantur; qui sequentur, ut glorificentur » (S. Bern. in fest. Pent. serm. 2).

Mariam invoca. — O Virgo gratiosa: totum nobis quodammodo est a te, quod per illum nobis est qui natus est ex te (Hug. a S. Vict. de verb. Incarn. col. 3). O Virgo veneranda nimis, Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

Mariam laetifica. — Vera erratorum et peccatorum tuorum detestatione. Viam sanctitatis *hic et nunc* fortiter et ferventer amplectendo: Mariam vitae spiritualis Magistram imitando. — *Ut sim servus Filii, servitatem appeto Genitricis* (S. Ildefons.).